

24. Denique succedit *Tentatio*, quæ tum in *precedentibus*, bonis militibus *Jesu Christi*, quoad *Christianam militiam* v. 4. quoad *Spiritualia certamina* v. 5. quoad *strenuos labores*, quales *agricolarum* esse dicuntur v. 6. prædicatur; tum in *sequentibus* ipso *Pauli exemplo* producitur: partim quoad *gravissimam afflictionem*, quam indigitat verbo $\kappa\alpha\chi\omega\tau\alpha\theta\epsilon\iota\varsigma$; v. 9. partim quoad *vinculorum gestationem*, quæ pro gloria *Victoris paschalis* ipse gerat; *ibid.* partim quoad *patientie extensionem*, quod *omnia sustineat libens propter electos*: tum in *aliorum consortio* v. 11. Nam *si commorimur, convivimus, si sustinemus, conregnemus* v. 11. Et hæc *Tentatio*, seu *vexatio*, dat *intellectum Esa. XXII*. parit perfectum *Mnemosophias paschalis habitum*, & saluberrimum subinde profert *fructum ac effectum*.

25. Postremò $\mu\eta\eta\mu\acute{o}\nu\epsilon\upsilon\epsilon$ *Paulinum*, quoad *formale respicit universam scripturam*. Nam quot in *universa scriptura* vel *testimonia*, vel *indicia* reperiuntur de *resurrectione Christi*, tot etiam nobis offeruntur *Mnemosophias paschalis artificia*, vel $\alpha\omega\acute{o}\gamma\pi\alpha\phi\alpha$, vel *Exemplaria*, secundum quæ nostram *Mnemosophian paschalem* instituere vel possumus, vel debemus. Talia *paradigmata* sunt *authentica*, quibus tuto fidere possumus, sunt $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma\delta\omicron\tau\alpha$, quæ, juxta *divinæ revelationis intentum*, in usum nostrum convertere debemus. Talia sunt in *V. T.* (1) *paradigmata paschalium predictionum* Gen. III. 15. XII. 3. XIIII. 18. XXII. 18. XXVI. 4. XXIIII. 14. Psal. XVI. 10. XIIII. 33. CX. 1 seq. &c: (2) *Paradigmata paschalium promissionum* Gen. III. 15. 11. Sam. VII. 12. seq. Psal. XXII. 26. XLI. 13. 14. CXIIII. 14 seq. &c: (3) *Paradigmata paschalium typorum*, *Adami* Gen. 11. 22. seq. *Noachi* in, arca quasi sepulti, & post egressi II X. 18. *Josephi* ex carcere liberati XLI. 14. *Mosis* ex aqua extracti Exod. II. 6. ut *Davidis*, *Danielis*, *Jonæ*, similesque typos omittamus. In *N. T.* pariter reperiuntur (1) *paradigmata Prophetica*, quæ *Christus* de *resurrectione sua* sæpius *Apostolis* prædixit *Matt. XVI. 21. c. XVII. 23.* &c: sic etiam apud reliquos *Evangelistas* passim talia *vaticinia* reperiuntur. (2) *Paradigmata Historica*, quæ magno numero nobis in *historia resurrectionis* offeruntur.

Matt.